



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Franciscvs De Pavla. 2. Aprilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

vel aulâ dignius Cœnobium assumeretur, ubi nullam Saulis lanceam timeret. Tantum apud Deum potuit, ut plantaria colenti nulla unquam eruca fata & brassicas læderet; neque vermiculos solum, sed aves etiam ita obsequentes habuit, ut ex manu ejus pranderent cœnarentque. Rigente brumâ ædes Sacerdotis foco fovendus subierat, quem alijs, quàm veller, calere ignibus sensit. Sacerdos enim & loci Præfectus unâ tum fortè prandentes, Venerem prætextatis verbis nominare ausi, cor WALERICI dolore exussere. Abeunte Divo, mox Dei vindicta subiit: Sacerdos oculis captus est, Præfectus lentâ fœdâque morte contabuit, longas ambo linguæ lascivæ pœnas daturi. Eâ sub arbore tumulari denique WALERICVS voluit, sub quâ Deo supplicare vivus consuêssset, ratus benè ibi corpus quiescere, ubi benè vixisset. Et verò cubare se molliter manifestè ostendit; ne in Aram quidem à sancto Bernardo invitatus migrare sustinuit.

Ex Suvio.

Faceffat ab ore Militis Christi omnis vani rumoris ineptia, & lingua, qua immaculati Agni, inò summi Verbi rubet sanguine, dedignetur otiosi sermonis sese facibus inquinare. S. P. Damian. l. 6. Ep. 26.

S. FRANCISCVS DE PAVLA.

2. Aprilis.

FRANCISCVS DE PAVLA decimo tertio ætatis anno, à parentibus ex voto sancto Francisco consecratus, monente Deo, novam Religionis familiam Minimorum nuncupandam condidit. Piorum ope ædiculâ sacram molientem sanctus Franciscus monuit, ut angustius illis prolatis, amplior

rem faceret: impensas causantem fidere Deo ius-
sit; muris ergo dejectis, mox ab homine copioso
magnam vim auri in opus accepit. Cum virtutibus
omnibus abundaret, ardebat tamen charitate ma-
ximè, quæ ad illum cælo defluxit globo igneo in-
scripta, ejus tessera futura & Ordinis insigne. Ea
flamma cum totum hominem corripuisset; nihil
mirum est, ardentes deinde titiones impunè tra-
ctasse, subiisse caminos, cibos quin adedò absque
foco solâ Charitatis flammâ percoxisse: sed ani-
mos hominum eodem incendio ambussit, & ex-
tremis odiis dissidentes non alio ferrumine celli-
gavit, artificiosus in miracula sancti Amoris. Ut
cum fratribus duobus pomiferæ arboris causâ ini-
micitias inter se alentibus, arborem diffilire me-
diam iussit, neuter ut uno pomo esset ditior; vel
cum pauperum causam apud Regem acturus, nu-
mum aureum inter digitos diffregit, ex quo cum
sanguis copiosè manaret, inopum eum esse dixit,
qui acerbis exactioibus exigerentur. Hæc deni-
que virtute ad cælum subvectus est anno M.D.VII.
eâdem fiduciâ aërem transvolans, quâ olim mare
pallio suo instratum enavigavit. *Ex vitâ.*

*Quàm pulchrum est, quàm decorum, vulnus à
Charitate accipere. Alius jaculum carni amoris
accepit, alius terreno cupidine vulneratus est; tu
nuda pectus tuum, & præbe te jaculo formoso; signi-
dem Deus sagittarius est. Orig. hom. 2. in Cant.*

S. GENOFEFA PALATINA. 2. Aprilis.

GENOFEFA Brabantia Ducis F. Sifridi Comi-
tis Palatini conjux, post votum DEIPARÆ fa-
ctum filium enixa est, id temporis Sifrido in Syriâ
agente. Interea Golo, qui pro Duca Rempub. ad-
ministrabat,